



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

20. An equitates teneantur jejuare, si iter sit dolum unius diei? Ex part. 11.  
tract. 2. & Misc. 2. res. 57.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

sunt causa non rationabiles omittendi eiusdem præcepti obsequantiam. Secus autem dicendum est si impedimenta non essent ita proxima, & ratio est, quia durum videtur cum tanto rigore præceptum audiendi Missam recitandi diuinum Officium, & ieiunandi obligare, vt ob sui obseruantiam teneatur homo tollerere, vel præcauere illa omnia, quæ etiam remotè, & à longè, ac valde per accidens possunt impedire eius executionem: solum ergo obligat ad præcauenda ea, quæ vel proximè, & quasi eodem tempore, in quo præceptum obligat possunt executionem impedire, vt in Festo se inebriare, dare somno, vel studio cura præuisione omissionis Missæ; vel omnino voluntariè in die ieiunij de præcepto, superfluo labore itineris, ludi, venationis reddere se impotentem ad ieiunandum illo die. Et hæc omnia docet Bossius loco citato, vbi etiam subdit, quod si inde ieiunij quis ob honestam recreationem dat operam ludo, vel venationi, non ea intentione, vt soluat ieiunium, præuidens tamen ex defatigatione se euasurum impotentem ad ieiunandum, posset excusari à ieiunio, & à transgressione præcepti ieiunij in causa, & quod præceptum ieiunij non videatur ita strictè obligare, vt quis abstineat etiam ab honesta recreatione iuxta illius statum. Puto tamen, quod rarè possit eueniri, vt quis ludendo, vel venando causa honestæ recreationis non excedens limites virtutis ita defatigetur, vt reddatur impotens ad ieiunandum, & indigens plurimum refectioem; nisi sit complexio nis ita debilis, & delicatæ, vt etiam paruo labore notabiliter defatigetur. In his itaque, & similibus casibus iusta de causa suscipiens in die ieiunij opus laboriosum, quod vnà cum ieiunio perficere nequeat, nullo modo peccabit contra ieiunij præceptum; secus vbi voluntariè omninò id facit, vel facit ea intentione, vt eo die ieiunare non possit, & consequenter non teneatur; nam tunc semper in omni casu peccat in causa contra præceptum ieiunij ob prauum affectum ad peccatum, vt docent omnes Authores præallegati. Ea circa omnia superius dicta, ne deseras recognoscere Doctissimum Dicastillo de Sacrament. tom. 1. tractat. 5. discept. 5. dub. 10. §. 2. per totum.

## RESOL. XIX.

An qui ad loca sancta peregrinantur, excusentur à ieiunio?

Idem est dicendum de itinerantibus cum curribus, & equis.

Et an flagellantes se in Hebdomada Sancta excusentur à ieiunio, si ob debilitatem experiantur ieiunium seruare non posse? Ex part. 1. tractatu 9. Resol. 46.

Sup. hoc sup. lege doct. Resol. 17. per tot. & si gnanter §. vii. & §. eius annot. & in rom. 7. tr. 1. Resol. 304. §. Et tandem in fia. & Resol. not. seq.

§. 1. Syluius in 2. 2. D. Thoma, q. 147. art. 4. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 23. dub. 4. numero 16. Fernandez in exam. Theolog. mor. p. 2. c. 3. §. 2. num. 12. & alij distinguunt: si enim peregrinatio potest sine incommodo differri, non excusatur: si non potest commode, excusatur.

2. Sed absolutè talem peregrinantem non esse ad strictum ieiunare, docet Sancius in Select. disp. 54. n. 2. vnde ait: [Generaliter dicendum est, excusari à ieiunio exequentem aliquod opus pium etiam absque necessitate, quod secum ieiunium non compatiatur vnde flagellantes se in hebdomada sancta excusantur à ieiunio, si ob debilitatem experiantur, se ieiunium seruare non posse: non enim Ecclesia præcipit abstinere à flagellis ob ieiunium; sed tantum ieiunium seruari à potentibus.] Ita Sancius.

3. Non reticebo tamen Ortiz in sum. c. 19. num. 12. Syluius absolutè docere (peregrinantes non esse adstrictos ad ieiunium: sic enim ait: [Los que van camino, y el camino, no se forzolos, non son obligados al ayuno.] Sed circa præsentem questionem vide etiam Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 5. & alios.

## RESOL. XX.

An equitantes teneantur ieiunare, si iter sit solum vnus diei? Ex part. 11. tractat. 2. & Miscel. 2. Resol. 57.

§. 1. Casus potest frequenter accidere. Pasqualis in Praxi de ieiunio deo. 316. numero 6. distinguunt, sic enim asserit: similiter nec equitantes mihi videntur immunes à ieiunio, quando iter est breve, & equus placidus, & obtemperans, atque gressu facili, & sine agitatione incedens; licet enim tunc interueniat aliquis labor, non tamen tantus est, vt generet multam lassitudinem, quæ non possit tolerari à ieiunante absque multo incommodo. Si verò iter sit plurium dierum, & præsertim in atate, quando calor configit equitantes, tunc equitantes erunt immunes à ieiunio etiam ab initio itineris, vt docent Fillicius, Bonacina supra citati, quia non est attendendus solum præsens status, sed etiam futurus. Ita ille.

2. Sed absolutè me citato contra illum tenet Leander de Præcept. Eccles. tractat. 5. disputatione 8. questione 105. Quod equitantes non teneantur ad ieiunium casu quo iter sit aut plurium dierum, aut nimis longum etiam si non sit plurium, sed solum vnus diei. Ratio est; Quia hoc casu quantum equus sit placidus, & egressus facilis, &c. nihilominus tamen equitans valdè defatigatur, & lassatur ex agitatione equi, & longitudine itineris quæ maximam molestiam affert itinerantibus, vt experti satis sumus. Ita Leander, qui postea questione 102. etiam me citato magis indiuidualiter docet, cum qui vnico die decem, aut octo leucas conficit deobligari à ieiunio.

3. Et nouissimè inuenio hanc sententiam doctore doctum Patrem Andream Mendo in Bulla Cruxiate disput. 13. c. 1. num. 4. vbi sic ait, Non damnabo peccati eum; qui etiam equitans facit iter, si non ieiunet, dum die ieiunij viam vnus diei perambulet, scilicet nouem, aut decem Leucas Hispanicas; quia illa via per diem continuata ex se affert etiam equitanti laborem sufficientem ad excusandum à ieiunio, quod communiter accidere quisque experitur in corporis defatigatione, variisque circumstantiis in itinere frequentibus. Sic sensit consultus à me Pater Petrus Hurtado de Mendoza, vir apprime doctus, vt eius scripta manifestant; sic etiam & alij vt tutum in praxi affirmarunt. Ita Mendo, & Ego.

## RESOL. XXI.

Quenam quantitas itineris pedestris excuset à ieiunio.

Et an, si iter pedestre sit mere voluntarium, possit ego, videlicet, peregrinari altera die ieiunio non impeditur, teneor ne peregrinationem relinquere ad obseruandum ieiunium?

Et quenam quantitas itineris equestris excuset à ieiunio? Ex parte 10. tractatu 14. & Miscel. 4. Resol. 2.